AMAUROSIS IMPERFECTAE A FULMINE HISTORIA SINGULARIS QUA INAUGURALIS...

Giuseppe Molteni

AMAUROSIS IMPERFECTAE A FULMINE HISTORIA SINGULARIS

QUA

INAUGURALIS DISCEPTATIO

AD

DOCTORIS MEDICINAE AC CHIRURGIAE

INSIGNIA CAPESSENDA

IN ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AUCTORE

JOSEPHO MOLTENI

MANERBIENSI

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXVIII.

VIRO · SPECTATISSIMO

IOSEPHO · TORRESINIO

MEDICINAE · ET · CHIRVRGIAE

DOCTORI

CLINICES · ET · THERAPIAE · OCVLISTICAE

PROFESSORI · EXIMIO

IOSEPHVS · MOLTENIVS · MANERBIENSIS

GRATVS · OBSEQVENTISSIMVS

D · D · D ·

266

AMAUROSIS IMPERFECTAE
PER SCINTILLAM ELECTRICAM
HISTORIA TRADITUR

Quo magis organum in sua textura complicatum est, eo magis therapeutica media sibi expostulat. Varietas infinita morbosarum affectionum, quibus oculus est obnoxius, fuit eritque semper invictum meae assertionis argumentum. Praeter plurimas laesiones meatum lacrymosorum, pituitas palpebrarum, irritationes glandularum, quae ibi distribuuntur, ulcerationem tarsorum, depravatam dispositionem superciliorum, transfusiones sanguineas, lymphaticas, purulentas in textura membranarum etc., organum visus subjacet etiam aliis varii generis vicissitudinibus nervosis, quibus therapeutica aequo debet inniti. Inter hos tamen sunt nonnulli, quibus sufficient media mechanica a chirurgia oculari exhibita, cum tali pacto physica cum medicina arctissimo vinculo conveniat. Sed aliae et quidem majoris momenti morbosae oculi vicissitudines vocant quotidie medici practici attentionem, quae cum sint natura sua difficiles, illum aliquando eo perducunt, ut, postquam omnem scientiae medicae fontem exhau-

sit, opitulari non possit humano generi: tales generatim loquendo sunt amauroses.

Veteres illius lucis expertes, quae post Ricther tenebras fugavit, ne suspiciebat quidem amauroses curari debere solo usu collyriorum *insignificantium*, et absurdarum praescriptionum ob pillularum praeparationem longarum, quibus ipsi qualitates vel fundentes, vel resolventes tribuebant, et hac ratione causam unius amaurosis cum causis alterius confundentes, verae scientiae cognitione destituti hanc pro illa curabant.

Nostris vero temporibus ars medica ponderata, et subtiliter discussa qualibet licet minima circumstantia, antequam aliquod therapeuticum remedium proponat ad trutinam diligentissime revocat materiam, insensitatemque illarum causarum quae eam producere potuerunt. Et re quidem vera, quae relatio similitudinis esse posset (observat quidam medicus gallus) inter curam indicatam per morbum a diuturno *manstrupationum* abusu, sive ab alia causa productum, et curam illarum quae emergunt ex praesentia in visus organo alicujus corporis extremi, ut ex. gr. ex violenta in cerebro commotione, ex laesione nervi suborbitalis, aut ex paralysi nervi optici, aut retinae per currentem electricam?

De hac ego tractationem instituere velim, cum anno praeterito 1827 occurrerit mihi ante oculos adolescens quidam perfecte fere amauroticus in oculo dextero per currentem electricam, qui post multos annos ejusdem inveteratae amaurosis, lucratus est, a computatis computandis, 40/100 propter frequentem frictio-

num *chantaridatarum* usum circa orbitam pluries in die repetendum.

Cura incepta, et continuata fuit a Josepho Torresinio Clinicae Oculisticae patavinae professore coram quinquaginta alumnis; unde quodlibet vel minimum corruptae veritatis dubium arguitur.

Animadversiones in quosdam antecedentes morbos.

Subjectum hujusce historiae ad Melam ortum habuit. Temperamentum mihi videtur stenico-excitabili, ratione habita plurium characterum physico-moralium, qui ipsum distinguunt; ex parentibus sanis natus, et bene nutritus ad annum aetatis suae quartum pervenit. Hac aetate humanae ei inseruntur variolae, quae, nescio quomodo, propria irregularia stadia percurrentes, seseque etiam dimanans super faciem quaedam eruptio variolarum nimis copiosa, inflationi magni momenti hujusce partis originem dederunt: palpebrae intumescebant, rubescebantque oculi; habebatur deinde percolatio valde densa et adhaerens, quae palpebras simul agglutinabat, ita ut oculi per aliquot dies clausi manerent, quo in statu ulterius mansissent, nisi praesto fuisset artis chirurgicae auxilium.

Puto, quod post nonnullos annos cum rheumatica febris crudeliter petierit, a qua vix fuit liberatus adolescens, quod oculus dexter ejus in morbum incidit, cum tota sese quodammodo collegerit prior rheumatica affectio in organo visus.

270

Adoptata fuit methodus energica antiphlogistica in stadio acuto leviter adstringens; et tonicus in stadio chronico, unde, recuperata valetudine, organum visus pristinam acquisivit aptitudinem.

Generatim loquendo quaelibet nostri individui pars quo perturbatior est in suo mixto organico, eo aptior est influxui morboso in comparatione aliarum partium, quae sunt in statu vere normali.

Haec veritas notata fuit, et notatur a quolibet artis medicae perito, si attendere velit frequentibus recidivis, quibus obnoxia sunt illa viscera, quae propter continuas morbosas affectiones in eorum functionibus organico-animalibus perturbata fuerunt. Pulmones, jecur, intestina, et praesertim systema nervosum plurima suppeditant quotidie de hac re exempla.

Duo ophtalmiae, variolosa nempe et rheumatica, quae duobus distinctis temporibus in oculo dextro apparuere per insinuationem partium externarum in partes internas, plurimam lucem praebere possent in casu nostro.

Retina, et nervus opticus experti sunt magis quam ceterae partes vicinae id generis ophtalmiae morbosum influxum. Fibrae praecipuae debilitatae, et praedispositae ineptaeque ad resistendum illi stimulo externo, qui illorum vim reactionis exsuperat, cedere coactae sunt currenti emissionis electricae.

Praeter admissam praedispositionem fieri potest juxta Reil, ut nervosa atmosphaera talis nervi propter quasdam ignotas relationes fuerit aptior ad sentiendum effectum.

De lapsu fulminis.

Dum in patrio templo adolescens noster preces Deo funderet, irruit fulmen, illumque percussit. Plures ex iis, qui aderant candem subiere sortem: nonnulli autem, quod pejus est, diem extremum obiere. Sic domus aeterni Numinis, quam spatio duorum saeculorum reveritae sunt procellae, et fulmina tangere ausa non sunt, horrifico illo die theatrum feralis luctus, atque desolationis facta est.

Adhuc fumans adolescens domum suam defertur, ubi exutus vestibus, quae supererant, inque lecto cubans has obtulit laesiones.

In abdomine.

Cutis a cartilagine *mucronata* usque ad umbilicum duobus digitis transversis circiter superius in loco, qui respondet ad musculum rectum abdominis, inordinationi fuit obnoxia;

Cutis correspondens parti mediae obliqui externi aliquantisper perturbata;

Cutis, quae respondet illi parti transversali quae ad cartilaginem xiphoeidem tendit valde vexata;

Binae tertiae partes superiores musculi recti veluti destructae. Pars media obliqui externi eandem fere subiit sortem;

Pars musculi transversalis, quae tendit ad cartilaginem *mucronatam*, leviter offensa.

372

In pectore.

Tota cutis spectans ad medietatem dexteram thoracis, efformansque veluti quadriangulum limitatum a sinistris ab universa longitudine sterni, superius a tota ora inferiori claviculae, inferius ab ora superiori ultimae costae erat leviter laesa. Musculi submissi, imperturbati.

In collo.

Cutis, quae respondet supposito musculo sterno-mastoideo omnino destructa. Videtur tamen musculus fuisse minus laesus, cum proprias functiones immutatas conservet.

In auribus.

Lobulus, duae tertiae partis elicis, totus antelix, tragus, antitragus, uno verbo, universa pars externa auris summopere perturbata. Partes vero internae illaesae omnino evaserunt.

In capite.

Regio temporalis laesa ex parte inferiori, anteriori, et praesertim ubi hoc os per harmoniam unitur cum osso parietali.

Frons in parte dextera inferius magis, quam superius hac illac vulnerata.

In parte vero, quae praecise respondet foramini orbitali superiori, per quod transit primus surculus primi rami quinti *paji* apparet evidens indicium transitus scintillae electricae.

Haec postrema circumstantia mihi videtur maximi momenti, si perturbata adfirmari posset normalitas nervi supradicti, quoniam tunc, t volunt nonnulli, amaurosis duplicem originem habere posset, et propter inertiam nervi optici, sive retinae, et propter laesionem primi surculi, primi rami quinti *paji*.

Quod omne tamen aliis bene multis inquisitionibus indiget.

Antequam sermonem instituam de influxu electrici in oeconomiam animalem et praesertim in systema nervosum, optimum esse arbitror nonnulla exponere circa symptomata quaedam peculiaria, quae amaurosis, de qua loquimur, obtulit ante completam suam mirificam eruptionem.

Definitio generalis amaurosis.

Amaurosis (ab ἀμαυρόω obscuro), Latine (gutta serena, suffusio nigra), Gallice (l'amaurose) nil aliud est, juxta Beer, nisi diminutio, sive amissio totalis visus immediate dependens a statu morboso retinae, seu nervi optici.

Quia vero amaurosis aliquando non aufert omnino visum, aliquando aufert; sic orta est divisio in *perfectam* et *imperfectam*.

Imperfecta vero nonnunquam eo perducitur, ut aegrotus non possit distinguere nisi vix lucem, directionem suorum radiorum, eorumque intensitatem; sicut in casu nostro notatum fuit; quapropter aderat incomprehensibile discrimen inter *perfectam* et *imperfectam*.

Nonnullae divisiones communes, et indicia nonnulla amaurosis imperfectae.

Plurimae sunt amaurosis imperfectae species, quas inter sequentes maximam considerationem merentur:

Visus interruptus, nimirum cum aegrotus legens nonnisi unam syllabam, unum verbum videre potest sine motu totius capitis;

Visus dimidiatus, cum aegrotus nonnisi partem superiorem, vel inferiorem, vel dexteram, vel sinistram cujuscumque objecti adspicere vult;

Visus muscarum (myodesopsia), cum homo intelligit videre nonnulla corpora pellucida nigro colore striata, orbicularia, vel serpentina, quae majori, vel minori numero sibi ante oculos occurrunt, vel quae saepe ex inopinato extolluntur, et pari celeritate delabuntur deorsum cum perturbatione et confusione visus, quando objecta conspicit alba vel illuminata (scotomata, muscae volitantes) ab auctoribus nuncupatae.

Hujusmodi scotomata crescunt pedetentim, et plus minusve pellucida efficiuntur, simulque denique conjunguntur ita ut efforment quoddam veluti rete, seu velum, ex quo objecta plus minusve obscurata evadunt: hoc amaurosis indicium vocatur visus reticulatus;

Photophobia seu adversatio lucis est et ipsa symptoma amaurosis imperfectae.

Aliquando aegrotus objecta minima in minima luce longe melius videt, quam sanus; sed talis periodus perbrevis est, et postea incapax

ſit homo cernere objecta majora in majori lucis gradu. Et lege oxyopia appellatur;

Visus nebulosus, cum nimirum homo videt objecta primis diebus nebula cineraceo colore splendenti obtecta; deinde alia die nebulam cernit valde nigram, et ipsa objecta denso fumo et fuligine circumdata;

Visus duplicatus quando objecta geminata videntur (diplopia).

Nonnulla indicia particularia amaurosis ex scintilla electrica producta.

Cum in tenebris esset adolescens noster, cernere videbatur phantasmata ignita, quae varia ostendebant puncta flava, nigra, caerulea, et die, quotiescumque palpebras claudebat, videbatur illi super globum oculi corpus rotundum glaciatum transire ab alio ignito statim subsequutum. Istud indicium longe alia indicia duratione superavit, cum non cesset, nisi cessante vita, organum visus.

Aliud indicium observatione dignum illud erat, quod aegrotus, oculo sano jam clauso, videret omnia objecta inversa; ex. gr. arborem cum ramis erga solum tendentibus, et radicibus erga caelum. Vix autem oculum sanum aperiebat, et objecta in suo vero naturali sensu cernebat, sed parvula et flexuosa.

Tandem indicium valde particulare notatum fuit in postremis periodis. Organum visus tali tempore, cum fere omnes suas normales proprietates recuperasset, aliquam sanitatis spem suppeditabat, quae tamen sequenti die evanuit nunquam reditura.

Hujusmodi phaenomenon explicatu facile foret, cum notum sit exaltationem apparentem in systemate nervorum a statu maximae debilitatis saepe pendere.

Tali pacto explicatur vis quam homo in extremis vitae suae momentis ostendit; sic etiam facundía nonnullorum antequam succumbant, quae cum ea idearum perspicacitate est conjuncta, ut adstantes in admirationem rapiat. Videtur profecto quod anima in summa sit contentione ut mundo viventi valedicat.

Omnibus rite perpensis, mirum est etiam quod id generis amaurosis ex inopinato post currentem electricam ita non percusserit, ut statim caecitas sequeretur.

Laudanda naturae providentia in suis etiam aberrationibus.

De nervorum systemate generatim.

Nervorum systemate adjuvante, efficitur, ut homo miram, qua est insignitus, excellentiam, ipsamque, vi cujus ceteris supereminet creatis rebus quibus totus componitur orbis, efficaciam servet. Cerebrum, quod veluti principium, ex quo omnes exinde nervorum promanant effusiones, suscipiendum est, tanquam primum ac praecipuum habetur irritabilitatis instrumentum, ipseque vitae ignis. Ex hac hinc de causa contingit, quod hujusce organi in foetu efformatio illam cordis antecedat: ex hoc evenit, quod in illis animalibus quae hyemali tempore quodam veluti somno stupescentia excrescunt, sensus ante circulationem vim suam exerit; secus potens nervorum in reliquos ani-

malis systematis actus efficacia haudquaquam innotescere posset.

Hujus propositionis veritatem tum frigus, tum pravae evaporationes effraenati passive affectus, electrici ignis pedetentim vitam corrodens, quin aliquae in visceribus adpareant physicae laesiones, apertissime comprobant.

De electro igne.

Altitonans Jupiter, metuenda nubium virtus, qua fulminea tela conficiuntur, quumque pavidi mortales ad numinis instar aliquando reveriti sunt, maris terraeque buccinae, boreales aurorae aliaque meteora id efficiunt, quod nos electri ignis nomine compellamus.

Inter Gallos Bertholonus, Italos inter Giardinius mirae hujusce elementi virtuti limites nimium porrexerunt. Cadentia sidera, pluvias, motus terrae, vulcanicas eruptiones, verbo quotquot existunt atmosphaerica phaenomena, sive terrestria-atmosphaerica ex electro igne ortum ducere existimarunt.

Nonnullae de electrici formatione opiniones.

In ea est Saussurus sententia, ut electricum fluidum nihil aliud sit, nisi derivatio conjunctionis ignei elementi cum quodam aliquo principio, quod adhuc hominibus non innotescit. Kirwan de hoc subjecto sese clare explicavit dicens, phlogistum, cum magis rarefactum sit, quam aer inflammabilis, cumque majori ignis quantitati conjungatur, esse illud posse, quod

fluidum electricum constituat. Ita sentit et Lavoisier.

De-Luc contrario opinatur istud fluidum electricum in atmosphaera efformari per radios solares (quo autem modo id fiat, ignoratur); et hanc suam sententiam defendit in opere *Idées sur la méteorologie*.

Volta tandem existimat non esse productionem, sed quidem eductionem, fluidum nempe electricum oriri ex metallis solummodo, vel ex aqua.

De influentia fluidi electrici circa oeconomiam animalem, et praecipue circa nervosum systema.

Fluidum electricum sive spectetur veluti causa vicissitudinum corporum, et hinc tanquam universalis vis, quae naturae operationibus praeest; sive habeatur veluti harum mutationum effectus, fluidum electricum, inquam, cum consideratur relate ad corpus animale, in semetipso habet actionem, quae sese magnopere extendit circa praecipuas vitae functiones.

Hoc electricum fluidum sub duabus formis in corporibus animalibus manifestatur, sub forma nempe tensionis, et sub forma currentis electricae; prior corporum superficie manifestatur, altera vero circa eorum moleculas propagatur.

Si effectum a tensione electrica productum nos considerare velimus, observamus, quod si homo vel quodcumque animal ponatur super scamnum isolante, vel electricitate exoneretur, ipsum statim ac ad contactum sit, dat signa,

quae hujusce speciei electricitatis praesentiam annuntiant: quinam autem ulteriores effectus sint violentae tensionis, nonnisi parum nos cognoscimus.

Effectus nascentes, cum electricum fluidum per corpus conductorium transit, ii sunt, ut tensione, quam experitur, moleculae, queis constat, ad separationem tendant, et prout illius est vis, combinationes chemicae destruuntur. Haec proprietas τοις φαινομενοις in physiologia cognitis aeque applicatur.

Influentiam hanc sanguis patitur in illius componentium separatione. Revera si electrica scintilla efficiatur ut per sanguinis guttam transeat, illius moleculae statim induent faciem Framboisé, quod partialem globulorum elementarium separationem, unde conflatur, indigitat.

Hanc candem influentiam infusoria pariter patiuntur, quae propriis spontaneis motibus privantur ex disorganizatione in ipsis habita ob eorum partium recessum. At si unquam fiat, ut currens electrica pertranseat corpus variis e textibus confectum, ex. gr. animal vertebratum; textus nerveus aptior ei aperiendo aditui, concussum electricum facilius experietur.

Textus igitur nerveus in vertebrato animali fortiores commotionis electricae effectus sentiet, et ubi illius intensitas ea sit, ut globuli fibras nerveas componentes disjungi possint, omnes hujusce systematis functiones destruentur.

Fulmen tanquam energica currens electrica, globulorum unionem fibras nerveas componentium admittit, simulque eosdem globulos crassamque substantiam ad insulanda sua filamenta

appositam commiscendo, necessario hujus systematis functiones dissolvet.

Revera non adhuc ea adhibita sunt experimenta, ut disorganizationis nervorum iis in occasionibus natura stabiliatur: compertum tamen est tali in casu muscularem irritabilitatem evanescere eodem invasionis electricae momento; dum in aliis longius post mortem quoque servatur. Haec tantum circumstantia sufficit, ut ostendatur actionem electricam sub hac forma systema nerveum incapax fluidum nerveum transmittendi, et currentem electricam (ii irritabilitatis agentes cognoscuntur) redditurum fore. Naturae magis consona explicatio, quae spiritui adstat in eo igitur constat, ut supponatur fibras nerveas hanc proprietatem ob earum molecularum separationem inductam perdidisse.

Aliud in nostrorum principiorum affirmationem accedit rationis momentum, sanguis nempe, quando individuum lethaliter a fulmine percutiatur, non coalescit nulla fere parte; dum e contra semper in vita ex alia causa functis eundem coagulatum videre est. Modo si coagulatio ex moleculari attractione enascitur, consequitur, quod, cum electricum fluidum repulsione exerceat, liquidus remaneat.

Hisce omnibus tamen effectibus non obstantibus, inquirendum adhuc remanet multumque cognoscendum, ut minutatim omnium effectuum unius electricitatis liberae in diversis organis cumulatae ratio exhibeatur. Dubio procul ii effectus varii sunt juxta eorumdem organorum naturam et electricae intensitatem currentis; hinc plura tantum delicatiora experimenta no-

bis historiam satis aptam modificationum, quas status electrico-atmosphaericus in hominis statu physiologico inducere quit, poterunt exhibere.

Rite igitur si fluidum electricum (quod probare jam est tentatum) in systema nerveum ita agat, ut immediatas relationes varias vitales functiones constituentes destruat, separatione inita inter se molecularum fibras nerveas conficientium nostro in casu dicendum, quod fluidum electricum ita haud egerit, ut moleculaarum totalem destructionem inferat, sed tamen potius commotionem vehementem sic advexerit, quae functiones nervi normales perturbando causa amaurosis, de qua agitur, fuerit.

Quod autem pertinet ad nervi optici praedispositiones multum influerit necesse est ut fluidum electricum debilitati occurrendo ac minori consequenter relationi in hoc potius, quam in aliis finitimus tristes illius effectus in nervea secessione inferre selegerit, paralysim hinc, hinc caecitatem.

Quae cura adhibenda.

Hujusce amaurosis curatio mense Februario anno proxime elapso 1827 originem habuit, inde decem mensium cursu Patavii, Brixiae et Manerbii progressum.

Haec cura constat in frictione instituenda ad orbitam pluries in die. Frictio haec stimulans ex cantharidum tinctura in menstruo alcoolico componitur.

Varia classis, principium ex uno scrupulo tincturae cantharidatae in tres drachmas alcoo-

lis, incrementum paullatim usque ad duas jam nunciatae tincturae drachmas: auctum aut imminutum vehiculum nunquam.

Primis diebus tres tantum adhibebantur frictiones viginti quatuor horarum spatio, ratione habita ad non suetum partium usum in stimulum validiorem; hinc partibus paullatim capacibus pactis majori stimulo absistendi, aucta dosis, auctus numerus earundem frictionum, ita ut extremum ad quindecim frictionum executionem viginti quatuor horarum spatio ventum sit.

Utilitas porro quae ex hac curationis methodo promanavit meo calculo 40/100 fuit. In praesentiarum individuum (plena tamen luce et tranquillioribus diebus) commodius characterem (si ad normam redigatur) legere potest. Status, quo lucem a tenebris valet distinguere, ab hoc, quem diximus, adeo differt, ut credi non ita facillime possit, nisi factum in adversum adduceretur. Stationarius status, quum bimestris hic morbus suffert, in eam induceret opinionem, opticum nervum huic stimulanti substantiae jamdiu suetum fuisse redditum, unde sum arbitratus media efficaciora in medium esse proferenda. Inter plura haec, quae veniunt recensenda, utiliora esse possent:

De electricitate qua remedium est.

Si electricitatis actio in salutis statu adeo certa habetur, ut in dubium revocari non possit, in eo morbo sit certior.

Mauduyt suis observationibus evidentioribus luce meridiana clarius hoc idem ostendit.

Item si in affectionibus ex viribus sensitivis muscularis systematis provenientibus eam utilem diximus; si eam quoque in eo, quem dicunt danza s. Viti morbo, ut ostendit Foterghil; si cura electrica saluti maxime confert in scrophula, ut opinatur Cavallo, Sauvages, Jullabert, aliique; si nullum therapeuticae medium tot refluit effectibus in amenorrheam, quam electricitas, ut observant Birch et Wihinson; si uno verbo omnibus nostri corporis morbis aeque fuit applicata; si tandem generatim eae omnes affectiones, quae usui cedunt electricitatis, sunt quae pendent ex systematis nervei vicissitudinibus; hanc therapeuticae methodum in amaurosis quoque cura quadam felicioris successus saepe adhiberi posse testamur. Melior tamen observationum pars, quae fluidi electrici medicam confirmant vim, dubia est. Nosographia enim non adhuc ita rigidos casus peculiares, in quibus illius applicatio bonos sortita est effectus, constituit.

Galvanismus.

Aliquot abhinc annis galvanismus ad curam nevrosium proponitur, quae organum visus aggrediuntur. Volta, Aldinus, aliique multa de hoc experimenta habuere uno ore affirmantes emolumenta majoris, vel minoris ponderis fuisse consecutos, ut pariter Grepengiesser plura refert exempla amaurosium per galvanismum feliciter curatarum. Si methodus operativa hujusce professoris Grepengiesser nostro applicari possit casui, ab eodem nunciato professore in quendam Berolini mercatorem adhibita,

non abs re foret spes inde utiliorem progressum consequendi.

Mesmerismus.

Mesmerismus ex illius detectoris opinione habetur tanquam morborum nerveorum curativum: ex eodem pariter diximus auctore, hoc principium lucem nobis afferre in remediis eligendis; proprios tutiores reddit effectus; tum dehinc excitat, tum moderatur prosperas crises, morbosarum affectionum fontem aperit; uno verbo omnia complectemur, morbis quibuslibet panacaea mesmerismus rite appellari potest.

Hoc mysterii pleno sermone Mesmer Numini phantastico prorsus, et chimerico thura adolere sibi suasit.

Attamen hoc quoque indicavimus; aliquoties enim in nerveis organi visus morbis adhibitum fuit.

Prognosis.

Ratione habita morbi durationis, causarum eum producentium, status stationarii, quo in praesens est, patet reservationes prognosi esse adhibendas. Emolumentum tamen obtentum juxta curam delicatiorem institutum, spem alit, fore ut curationis methodus plus minusve adjunctis individui accommodata ad optatum finem assequendum tandem deducat.

THESES

I.

Sunt quidam nervi sensui, et motui inservientes.

II.

Venae sectio ad animi deliquium in hydrophobia minime instituenda.

III.

Saepe saepius in febribus intermittentibus venae sectio celebranda est.